

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Karl Franz Christian Wagner

**Memoriam Viri Excellentissimi Guilielmi Theophili Tennemanni Philosophiae
Doctoris ... Academiae Marburgensis**

Marburgi: Krieger, 1819

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77467380X>

Druck Freier  Zugang





II - 1629 19.

MEMORIAM
VIRI EXCELLENTISSIMI
GUILIELMI THEOPHILI
TENNEMANNI

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII,
BIBLIOTHECAE ACADEMICAEC SECUNDO LOCO PRAEFECTI, NONNUL-
LARUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALIS

ACADEMIAE MARBURGENSIS
AUCTORITATE ET NOMINE

C I V I B U S

C O M M E N D A T

CAR. FRANC. CHRIST. WAGNER

PHIL. D. LITERARUM GRAECARUM LATINARUMQUE, NEC NON
ELOQUENTIAE ET POESEOS PROFESSOR PUBLICUS ORDINA-
RIUS, SOCIETATISQUE RERUM NATURALIUM STUDIO-
SAE MARBURGENSIS SODALIS EXTRAORDINARIUS.

MARBURGI,

T Y P I S - K R I E G E R I A N I S M D C C C X I X .

*II-1629. Ruhkopf v. C.
S. P. D.*

МАЯСОВИМ
СУДІІВСТВА
ІННОВАЦІЙ
ІНКАМПІАН

ІННОВАЦІЙ СУДІІВСТВА
ІНКАМПІАН СОЛДАТІВСТВА

ІННОВАЦІЙ СУДІІВСТВА
ІНКАМПІАН СОЛДАТІВСТВА

ІННОВАЦІЙ СУДІІВСТВА
ІНКАМПІАН СОЛДАТІВСТВА

ІНКАМПІАН

et pote vivere, quae disciplina? (*). Et pro
** meminimus et esse bellissimum est omnia pone
tudo in scientia, namque interdum illata omnino pone
naturae officia, nuda aliunde, nisi ex subiectis alii
qui illi expositi loquerentur, potest vivere latiorum suorum
ut mundum sibi consiperet, peruenient necesse

Si qua est disciplina, cuius studium hominibus ad fe-
liciter beateque vivendum muniat viam, eam esse phi-
losophiam inter omnes constat. Haud igitur mirum,
praestantissimum illum Romanorum philosophum Ci-
ceronem in ea usque ad coelum efferenda tam mul-
tum fuisse, qui illam non dubitavit non omnium so-
lum artium omniumque bene factorum atque bene dic-
torum matrem procreaticemque *), sed deorum quo-
que donum nominare inventumque **). Illam animi
affirmat esse culturam, quae radicitus extrahat vi-
tia ***), illaque omnem virtutis contineri et officii

*) Cic. de clar. Orator. 2, 322. Id. de Orat. I, 9.

**) Cic. Tuscul. Quaest. I, 26, 64.

***) Cic. l. c. II, 5, 13.

et bene vivendi disciplinam *), ipsamque igitur, quae vitae appellaretur ars, esse dignissimam **). Et profecto si sincera animi tranquillitate omnis huius vitae nititur felicitas, neque aliunde, nisi ex sapientiae studio illa expeti potest, beatae vitae rationem aut in hoc, aut nusquam alibi consistere, fateamur necesse est. Doctrinarum enim praceptorumque, quibus illa animum imbuit, suavissima meditatione omnes eius aegritudines levantur, efficiturque, non solum ut ab sollicitudine atque perturbationibus vacuus sit et immunis, sed ut nullum tam triste sit infortunium, nulla tam acerba calamitas, quae eum de tranquillitatis statu yaleat deturbare. Quae si a vero non aliena sunt, quantopere colendus suspiciendusque est ille, qui non solum aliis ad philosophiam, seu, ut Cicero eam censuit interpretandam ***), ad sapientiae studium pandit munitque viam, sed hanc ut tanto alacrius ingre-

*) Cic. in L. Pison. 71.

**) Cic. de Finib. III, 2, 4.

***) Cic. de Offic. II, 2, 5.

diantur, illos simul eo quam maxime allicit inflammatusque, quod ipsis in se non adumbratam, sed expressam viri sapientis exhibit imaginem. Quam ingenti igitur luctu et moerore prope incredibili nos concidisse putandi sumus, cum nostris votis, cum huic literarum universitati, cum toti reipublicae literariae repente immatureque ereptus sit.

GUILIELMUS THEOPHILUS TENNEMANN

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS
BIBLIOTHECAE ACADEMICAEC SECUNDO LOCO PRAEFECTUS NON-

NULLARUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALIS,
cuius fama illustris recordatioque sempiterna non huius Academiae angustiis continetur, sed ad omnes, quotquot philosophiae studio favent atque qualicunque eius amore tenentur, pervagata est. Et profecto si quis est, qui institutae vitae ratione, qui doctrina, qua animum excoluerat, eruditioneque, qui probitate integritateque, qui omnibus denique illis virtutibus, quae amicitiae praecipuus fons sunt eiusque vinculum

firmissimum iure meritoque censentur, omnibus se
praebuerit dignum, qui quam maxime amaretur dili-
gereturque, nostrum TENNEMANNUM eum fuisse, illi
fateantur necesse est, qui cum eo consuetudine fami-
iliaritateque fuerunt coniuncti.

Natus vero est TENNEMANNUS Brembachii, vico in
finibus terrarum Erfordensium Isenacensiumque sito,
die vii. Decembris, anno superioris saeculi LXI, patre
Ioanne Georgio Tennemanno, qui in maiore illius vici
parte, in agro Erfordensi posita, concionatoris munere
non sine laude fungebatur; erat enim, filio ipso te-
ste *), vir liberalitate probitateque insignis, in mune-
ris sui officiis exsequendis acer fere atque adtentus,
literis deditus, diversarumque rerum scientia pollens,
ei tamen sorti iniquae obnoxius, ut curis semper in-
dulgeret, perpetua sollicitudine angeretur, omnemque
igitur tristior traduceret vitam. Qui rerum humana-
rum non prorsus ignarus est atque rudis, quemque
non fugit, quantopere animi in muneris nobis iniuncti
*) vid. Striederi Hessische Gelehrten-Geschichte, T. XVI, p. 97 sqq.

negotiis obeundis perficiendisque alacritas ab eius pen-deat vigore hilaritateque, is profecto non mirabitur, virum ita affectum se, quamvis invitum, interdum tamen in illis administrandis exhibuisse remissiorem; eiusmodique animi statum TENNEMANNO quoque nostro liberalius educando aliquantulum offecisse, quae iam sequentur, nos edocebunt.

A teneris iam NOSTRO cum multis confligendum erat rebus adversis, priusquam exquisita illa animum ornaret doctrina, qua sempiternam, neque ulla vetustate abolendam sibi peperit gloriam. Primis quidem quatuor aetatis annis inoffensa utebatur valetudine, atque in infante omnes istiusmodi ingenium perspiciebant indolemque, ut parentes optimo suo iure sperare possent, fore ut ille in ipsorum gloriam adolesceret, et evaderet talis, qualem tandem omnes cognitum iudicarunt. At enim vero tum quidem gravissimo illo morbo, cui variolarum nomen inditum, cuiusque vim mortiferam frangendi minuendique ratio tunc temporis nondum erat admodum vulgata, corruptus atque ita afflictus est, ut omnes, quas ipsius

parentes de eo concepissent, spes evanescerent prorsus. Namque per novem integros menses illa conficitabatur peste; ex qua cum tandem adsurgeret, dextro ne orbaretur oculo, erat verendum: per duos enim annos huius oculi usus ei plane ademtus erat, qui postea quoque semper acie fuit hebetiore. Praeterea vero, quod etiam magis dolendum, diuturno illo gravique morbo corporis eius vires ita fractae erant exhaustaeque, ut per quinque proxime sequentes annos nec membris ipsius, nec animo, vigor videretur esse redditurus. Valetudine tandem aliquantulum firmata, cum ad literarum, quibus tenera aetas erudiri solet, elementa perdiscenda accederet, illi haud contigit, ut ea institueretur ratione, qua sola puerorum studium incitari potest inflammarique. Pater quidem ea, quae virorum literis deditorum haud raro sors est, paupertate coactus liberorum suorum animos fingendi munus ipse suscepérat: etsi vero ex Ciceronis sententia filii nulla melior contingere potest disciplina, quam si maxime parentis institutione erudiantur, id tamen in Nostrum haudquam cedebat; praeterquam enim

quod ipsius pater, ut supra monuimus, nunquam non fere aegritudine oppressus tristior erat morosiorque, totum etiam literarum pueris tradendarum ambitum haud completebatur, nec illorum instituendorum omnino callebat artem. Solitaria quoque atque monasticae vitae similis vivendi ratio, quam TENNEMANNI pater ob illas ipsas, in quibus indulgebat, curas sequebatur, NOSTRI, inter suos tantummodo agentis, et ab aliorum consuetudine prorsus remoti, ita afficiebat animum, ut timiditatis inde contractae vestigia quedam vel senioribus aetatis remanerent annis.

Decimum sextum tandem vitae cum esset egressus annum, latior, in quem excurreret, ei aperiebatur campus. Patre quidem duce et magistro linguae Graecae Latinaeque imbutus erat elementis, ac non nullos autores classicos et Graecos et Latinos interpretatus erat pertractaveratque; at enim vero omnium illarum rerum, quarum cognitio ad eos accuratius explicandos maximum praesidium est, undeque linguarum studium quasi sanguinem ducit succumque, ignarus manebat et rudis; atque cum neminem haberet,

quocum discendi contentione decertaret, quemque ae-
mularetur, fieri non potuit, quin prae*matura*e de suo
ingenio, literis ~~bet~~ doctrina locum daret opinioni. In-
de sane factum est, ut labores susciperet, quibus dis-
traheretur potius, quam ad optatam propius adduce-
retur metus, illudque otium, quod legendis libris ora-
tionique elimandae insumere debuisset, vocabulario
Graeco, ex eo, quod vulgo dicitur Septemvirorum,
componendo, atque notis in Homerum ex paucis in-
patris supellectile libaria extantibus libris corraden-
dis impenderet. NOSTER profecto si diutius hoc statu-
manere atque his legibus vitam instituere debuisset,
omnes illi ingenii igniculi, qui eius animo latebant et
deinde emicantes historiae philosophiae tantam lucem
ad tulerunt, iam in pueri prorsus fuissent extincti.
Per opportune igitur accidit, ut NOSTER annum aetatis
agens decimum septimum Erfordiam missus Gymna-
sii, quod ibi floret, adscriberetur alumnus; quamvis
enim annum tantummodo et sex menses *) eius doc-

*) Ab initio semestris aestivi a. LXXXVIII usque ad finem eiusdem se-
mestris a. LXXXIX.

toribus operam daret scholasque frequentaret ab his habendas, haud contemnendos tamen et in Graeca lingua et in Latina progressus fecit, linguae Franco-Gallicae elementis se imbuit, atque orationem vernaculae limandi, quantum fieri poterat, fuit studiosus. Praeterea ad timidiorem NOSTRI animum confirmandum tristitiaque, ex solitaria, quam intra paterna domus parietes degerat, vita contracta, liberandum, maximum habebat momentum familiaritas, quam cum duobus iuvenibus, animi cultu doctrinaque tum quidem se potioribus, Petro nimirum Vogtioque inierat, quorum alter postea Professoris Extraordinarii in Academia Erfordiensi provinciae praefuit, alter vero concionatoris munere in vico haud procul ab Erfordia sito ornatus est.

Anno superioris saeculi LXXIX in acivium academorum numerum Erfordiae receptus iniqua plane fuisse conditione, nisi exstitissent, qui diligentia industriaque, qua NOSTER in literas incumbebat, praeclarisque eius animi dotibus perspectis ipsum, quounque id fieri posset modo, iuvare constituerent;

enim praeter beneficium aliquod annum haud admodum amplum et quae ex aliis privatim instituendis ad eum perveniebant emolumenta nihil quidquam habebat, quo sustentaret vitam. Inter eos, qui Nostrum singulari amplectebantur amore benevolentiaque, duos ipse memoriae qui traderentur, censuit dignos, Sinholdium videlicet Lossiumque, utrosque Professoris munere in Academia Erfordiens ornatos, quorum alter linguarum tradendarum apprime callidus erat, alter vero, viris ad philosophiam factus, pulchri sensu imbutus ac iudicij elegantia tinctus, et perspicuitate, qua doctrinas philosophicas pertractabat, et vigore, quo illas proponebat, iuvenum non prorsus a philosophia abhorrentium animos ad eius studium alliciebat inflammabatque. Verum enim vero non e Lossii praelctionibus solum uberes fructus TENNEMANNUS capiebat, sed ab ipso consilio quoque et re adiuvabatur, eumque per totum, quod Erfordiae agebat, tempus studiorum suorum habebat moderatorem. Reliquorum Professorum, quibus magistris utebatur, in animo eius doctrina excolendo partes fere nullae fuerunt, tum

* 2

quia eorum paelectiones TENNEMANNUM nostrum rerum gravitate docendique vigore minus tenebant, tum quia ipse, philosophiae studio prorsus addictus, eorum disciplinarum, quae ad quaestum referuntur, ut aliquam isti paeferret, haudquam poterat adduci. Pater quidem, ut Theologiae operam daret ecclesiasticoque se aptaret muneri, habebat in votis, ipsoque beneficio annuo, quo sublevabatur, id ut ficeret, erat iniunctum; at enim Professorum theologicas doctrinas tradentium unus cum in paelectionibus, formulis rerum divinarum receptis illudens, id ageret, ut novam suam et ab illis recedentem Theologiae descriptionem inanibus plane argumentis auditoribus probaret, fieri non potuit, quin NOSTER ab huius doctrinae studio prorsus alienaretur, menteque etiam opinionem, ab amicorum nemine convellendam et labefactandam, conciperet, haud fore, ut unquam firmiter edoctus, nec ullis dubitationibus vexatus, munus ecclesiasticum posset obire. Theologicis doctrinis igitur operam suam impendendi consilio abiecto, ad iu-
risprudentiae studium se conferre apud animum con-

stituit. Verum enim vero nec eae paelectiones, in quibus de rebus ad illam pertinentibus agebatur, istiusmodi erant, ut eum ad spatia, quae iam quidem ingressus erat, emetienda impellerent. Praeterea cum laboribus inopiae levandae causa susceptis impediretur, quo minus omne suum otium graviori alicui disciplinae daret, tandem in philosophia, qua tantopere tenebatur, acquievit prorsus. Inter reliqua vero, in quibus legendis tum occupatus erat, philosophorum scripta Platonis eum maxime delectabant dialogi, quorum studium in eam, quam postea sequutus est, literas tractandi rationem constituendam permagnum, ut ipse fatetur, habuit momentum. De immortalitate animi saepe meditatus, omnibusque, qui de illa agerent, commentariis, inque his praecipue Campii libro, *von der Empfindungs- und Erkenntnisskraft der menschlichen Seele* inscripto, accurate pertractatis, cum nusquam argumenta reperiret omnem dubitationem tollentia, ipse animos morte carere certissimis rationibus demonstrare aggressus est. Verum perspiciens, illi rei humanam sapientiam certam manifestamque fidem

facere non posse, opus a se elaboratum satisque prolixum suppressit.

Initio semestris aestivi anno superioris saeculi LXXXI, amicorum consilium sequutus, Ienam se consultit, ut ibi tum maiores etiamnum in doctrinis philosophicis ficeret progressus, tum, vitae aliquando facilius sustentandae causa, iuris scientiae aliquam saltem daret operam. Verum etiam hic NOSTRO cum rebus adversis erat conflictandum: atque omnibus, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, cum esset destitutus, victumque alios et veteribus et recentioribus linguis instituendo quaerere coactus, Professorum doctrina atque eruditione praestantium scholis, tum inopia pecuniae, tum tempore exclusus, haud poterat interesse, et quod ipsi reliquum erat otii vix ad philosophicas disciplinas diligenter pertractandas sufficiebat. Toto tandem earum ambitu Ulrico praeeunte, qui una cum Reichardo Nostrum, a Lossio ipsis quam maxime commendatum, initio multis modis iuverat, perlustrato, TENNEMANNUS formam philosophiae quoque a KANTIO institutam sibi censuit accurate cog-

noscendam, quam ille interdum modo adtigerat, et ita quidem, ut, tametsi nonnulla approbaret, permulta tamen impugnaret reiiceretque. Quid mirum, TEN-NEMANNUM hac ratione in eam opinionem adductum fuisse, ut putaret, esse quoque in Dogmatismo, quem vocant, quae a philosophia critica non possent oppugnari? Id igitur sibi persuasum habens, Kantii librum *Kritik der reinen Vernunft* inscriptum eo consilio maxima pervolvebat adtentione, ut ea investigaret rimareturque, quae in hoc praeclarissimo libro possent reprehendi; paucisque repertis, quae sibi invicem repugnare videbantur, philosophiae theoreticae criticam, eius ratione haudquaquam accuratius explorata, omni, quo niteretur, fundamento prorsus credebat esse destitutam. Summis igitur anno LXXXVII in philosophia honoribus qui ornaretur iudicatus dignus, cum anno proxime sequente ex instituto academico commentationem publice defendendam eruditorum examini subiiceret, Kantii criticam Psychologiae rationalis evertere est conatus. Haud vero diu hoc in errore versatus est, quem non potuit fieri, quin accu-

ratior criticae, quam vocant, philosophiae formulae notitia ei eriperet: qua quidem ut imbueretur, haud ita multo post primo, quem ipse in lucem edidit, effectum est libro.

Animum morte carere, cum ipse tentasset, argumentis certis demonstratum dare, omnia conquirendi studio flagrabat, quae ea de re ab aliis essent in medium proleta. Eo igitur consilio Platonis quoque pertractabat opera, sibi persuasum habens, accuratam atque dilucidam earum rationum, quibus philosophi animi immortalitatem a priori, quod vocant, primum confirmare conati sint, quaeque in Socraticorum scriptis exstant, enarrationem expositionemque viris doctis acceptam futuram, neque recentiorum hominum literatorum laboribus redditam esse supervacaneam. Haud vero contentus, omnia accurate collegisse disposituisseque, quae Socratici de ea re tradidissent, in rationes quoque inquirendi munus suscepit, quibus mens humana a credendo ad meditandum sit traducta, simulque, quae Socratis et Platonis in eam rem fuerint merita, definiendi. Opus hac ratione maxima

cum laboris assiduitate elaboratum in lucem editurus, nec Pragae, quo librum manuscriptum miserat, nec Lipsiae redemptorem inveniebat, quem tandem Schmidii, Consiliarii rei sacrae munere postea ornati, qui **Nostrum** omnibus officiis prosequebatur, favore natus est curaque. Hic liber cum non sine plausu a viris doctis exciperetur, **Noster**, ut eorum laude se prorsus redderet dignum, omnes ingenii intendit vires nervosque, quo simul id effectum est, ut totam, quam animo conceperat, philosophiae immutaret formam. Argumenta nimirum ex sola ratione petita diligentius examinans eo pervenit, ut perspiceret, omnem philosophiam contemplativam vanam esse atque inanem; quae quidem persuasio ei deinde ad placita a Kantio in libro *Kritik der reinen Vernunft* inscripto proposita facilius intelligenda aditum patefecit. Sed ad res eas, de quibus in illo libro egerat, accedebant alia investiganda, quibus expediendis haud exiguum temporis insumsit spatium. Etenim ad Platonis scripta diligentius pertractanda omne suum studium conferentem haud latebat, accuratam atque undique com-

pletam Platonicae formulae descriptionem adhuc desiderari: huius vero descriptionis lineamenta ei persuasum erat, et veterum et recentiorum interpretum explicationibus omissis, non nisi ex ipsius Platonis operibus peti debere. Iam quamvis eum non fugeret, eiusmodi opus peramplum esse ac difficillimum, tamen, quo minus ipse id aggrederetur, nullis impedimentis deterritus est; atque diligentiae laborisque assiduitate ingeniique vigore illud ita ad finem perduxit, ut non nisi cum ipsius Platonis scriptis eius memoria possit extingui. Hoc opere absoluto certi quid quoque in veteris philosophiae historia constitutum erat, quo et priora et proxime sequentia referrentur, quodque his magis illustrandis inserviret. Inter Germanos quidem post Bruckerum multi existiterant viri docti, qui a fontibus ipsis hauriendo colligendique et conquirendi studio hoc doctrinae genus iuvarent ornarentque; atque philosophiae theoreticae historiam Tiedemannus, Professor quondam in hac nostra Universitate literaria celeberrimus et de literis meritissimus, mira sagacitate mentisque acumine enar-

raverat: at enim vero tot adhuc erant res accuratius constituendae plenioreque explicationis luce illustrandae, ut **NOSTER** pro eo, quo a natura imbutus erat, philosophiae amore eiusmodi opus perficiendi caperet consilium. Neque eum frustra laborasse, docuit evenitus. Multa, quae adhuc occulta latuerant aut iacuerant neglecta, ipse in lucem proferebat, plurium philosophiae formularum descriptionem exhibebat accuratiorem, simulque edocebat, a quibus principiis illae in animo humano natae sint effluerintque, quae inter singula dogmata investigata, ad philosophiam in disciplinae formam redactam si revocentur, intercedat coniunctio, et qua tandem ratione ars quaedam facta sit philosophiae et disciplinae descriptio, id quod reliqui intactum fere reliquerant atque tenebris obvolatum.

Est profecto, quod admiratio nostra moveatur quam maxime, attento si ea perlustramus animo, quae **NOSTER**, clariorem ut historiae philosophiae affundet lucem, exploravit atque in medium protulit, praesertim cum neque a librorum subsidiis admodum esset

instructus, neque, ad inopiam sublevandam vitamque tolerandam tot alios labores susciperem coactus, otio abundaret. His laboribus occupatus et oppressus fere ut haberet, cuius consuetudine et familiaritate paucis illis, quas sibi indulgeret, horis subsecivis exhilararet animum, anno xcv saeculi superioris in matrimonium duxit *Christinam Sophiam Ioannam*, Ioannis Bernhardi Rus, Archidiaconi atque assessoris consilii ecclesiastici munere Ienae quondam ornati, anno vero lxxii iam defuncti, filiam natu minimam, haud quidem magnam adferentem dotem, et frugalem diligentemque; eiusque cura et amore post tot res adversas asperasque iam tandem vita frui incipiebat tranquilliore et molestiis minus obnoxia, cum de obitu patris carissimi, qui die xvi Decembris anno xcv de vita deceserat, nuntius ad eum allatus, omnia humana fluxa esse ac fragilia, perpetuaque casuum varietate iactari, ratione eum admoneret acerbissima. Luctu ita et moerore haud leviter affecto aliquide solaminis id non poterat non afferre, quod viri docti saltem honore ei habito significarent declararentque, si non fugere;

quantopere ipse de republica literaria meritus esset. Anno xcvii nimirum numero sodalium Academiae artium utilium promovendarum causa institutae, quae sub auspiciis Electoris Mogontiaci tum temporis Erfordiae florebat, honoris causa adscriptus, et, postquam anno xcviii Professoris Philosophiae Extraordinarii in Universitate literaria Ienensi provincia, nullo tamen salario proposito, ornatus erat, anno mccc a societate rerum metallicarum studiosa Ienensi sodalis honorarius adscitus est.

Viginti duos hac ratione cum Jenae commoratus esset annos, cum paucis quidem, at probis ipsiusque familiaritate dignis amicis consuetudine coniunctus, anno tandem huius saeculi quarto d. n. Martii invitatus est, ut in hac nostra Universitate literaria eam, quam Tiedemannus, vir toti meritis clarissimus, obtinuerat, Professoris Philosophiae Ordinarii susciperet provinciam, quam quoque paucis hebdomadibus post sub finem mensis Aprilis adiit. Novus iam hic doctrina atque eruditione, qua ornatus erat, gloriam famamque acquirendi ei aperiebatur campus: etenim cum

ad illud usque tempus in libris fere conscribendis occupatus fuisset, nunc quoque praelectionibus instituendis iuvenum animi ipsi formandi erant excolendi que. Ab assiduo autem diurnoque rerum usu cum omnis nostra pendeat peritia, quid mirum, Nostrum, in praelectionibus habendis haud multum versatum, initio dubitasse, quam viam ingressus efficere posset, ut auditores uberrimos inde caperent fructus? Huc accessit timiditas illa atque verecundia, ex solitaria et propemodum monastica vitae ratione, quam iuvenilis aetatis annis sequi coactus fuerat, contracta, qua eo fertur deductus, ut primam, quam haberet, praelectionem veluti verba in conventu sacro facienda memoriae censeret mandandam. Animi vero cum tanto-pere valeret acumine, statim intelligebat, aliam sibi omnino ineundam esse rationem, optatam metam adtingere si vellet; atque collegarum suorum, qui eum ad unum omnes maximo amore complectebantur et summopere colebant, usu consuetudineque animus eius cum esset magis confirmatus et alacrior factus, eo tandem pervenit, ut auditores, si minus orationis sua-

vitate et eloquentiae vi ad philosophiae studium alliceret, at, si a philosophicis doctrinis non prorsus abhorrerent, rerum, quas exponeret, gravitate tenebat constrictos.

Hac ratione cum huius Universitatis literariae cives, qui animo sapientiae doctrinis probe subacto ad graviores disciplinas accedere in votis haberent, in ea re mirum quantum iuvaret, oratio quoque munere, quod ipsi iniungebatur, suscepto diligentia sua atque assiduitate de Academia nostra optime promeritus est. Bibliothecae nimirum Academicæ post Wachleri V. S. V. abitum secundo loco praefectus, eam ad disciplinarum genera convenientius digerere, atque librorum, quam vocant, catalogum realem confidere aggressus est, quod opus quoque fere totum absolvit.
Nostrum, tot variis diversisque laboribus occupatum, a fortunae iniuriis et humanae vitae calamitatibus non fuisse immunem, profecto est, quod doleamus. Omnibus enim liberis ex uxore carissima susceptis praematura morte orbatus, illam ipsam d. xxiv. Decembris anno huius saeculi xv. amisit; atque ita

denuo in solitudinem fuisse collocatus, nisi virginem
 bene moratam adoptasset filiam, qua eum iam grato
 animo fovente, sperare poterat, fore ut, quod ipsi
 reliquum erat vitae aetatisque, tranquille transigeret
 atque iucunde. Verum enim vero haud erat in fatis,
 ut diu adhuc inter nos commoraretur. Corporis enim
TENEMANNI constitutio cum non admodum firma es-
 set, non potuit fieri, quin eius vires tandem illis la-
 boribus exhaustirentur, qui ipsi per totam vitam fui-
 sent sustinendi, et a quibus fere nunquam animum
 laxasset. Praecipue vero, respirationi quae inserviunt,
 corporis laborabat partibus, atque permanens, sive,
 ut medici loquuntur, habitualis ei erat tussicula. Pro-
 pemodum quotannis, interdum eodem anno bis, ca-
 tarrho vexabatur, eoque nonnumquam graviore. Die
 autem xxii. Septembris huius anni febri correptus est
 catarrhali adeo vehementer, ut omnes statim, praeci-
 pue cum secundo die post dolor pleuriticus accede-
 ret, corporisque eius vires ex aliquo tempore admo-
 dum debilitatae essent et diminutae, de eius salute
 solliciti essent, desperarentque. Symptomata catarrha-

lia quidem eo, quo id fieri adsolet, tempore abibant;
 at febricula remanebat, quae NOSTRO solitam prorsus
 eripiebat quietem. Vires in dies magis magisque de-
 ficiebant; mortemque appropinquantem ipse sentiens,
 iam medicamentis amplius uti recusabat. Postea sane,
 medico, id ut faceret, eum cohortante monenteque,
 et ne quid omitteret, quo ad sanitatem posset restituī,
 ea sibi dari iterum passus est: at enim vero quidquid
 artis curaeque Justius noster, vir experientissimus me-
 dendique peritissimus, ei sanando impenderet, vires
 corporis eius nimis fractae erant, quam ut votis no-
 stris potuisset servari. Dies mensis Septembris ulti-
 mus vitae TENNEMANNI quoque fuit extremus; hora-
 que eius diei fere decima vespertina morte defunctus
 est tam placide atque quiete, quam vixerat, atque
 ita, ut eos, qui luctu et moerore oppressi morienti
 aderant, illud punctum temporis lateret, quo cum
 morte commutasset vitam.
Ereptus est igitur non solum amicis, sed huic
Academiae, sed toti reipublicae literariae vir, qui se
 semper praebuit dignissimum, quem omnes maximo

amplecterentur amore, quemque summopere colerent suspicerentque. Doctrina enim atque eruditione quamvis facile permultis praestaret, atque non solum in disciplinis philosophicis versatissimus esset, sed linguarum quoque et veterum et recentiorum apprimegnarus, tamen, cum Cicerone *) persuasum sibi habens, gloria ostentatione virum vere doctum nihil magis dedecere, eiusque vel suspicionem ipsi vitandam esse, ab ea erat alienissimus, ac semper se modeste et fere submissius gerebat, Ciceronem etiam in hac re auctorem sequutus, qui eos recte praecipere ait, qui moneant, ut, quanto superiores simus, tanto nos geramus submissius **). Animus ipsius quam maxime robustum fuisse et firmum, id potissimum inde palam fit, quod nullis rebus asperis adversisque ab instituto vitae cursu potuit dimoveri, et quod, cum mentis acumen animique sollertia nulla re magis obtundatur, quam si quis haud sponte, sed necessita-

*) Cic. de Orator. II, 82, 333.

**) Cic. de Offic. I, 26, 90.

tibus suis coactus, semper in libris scribendis occupatus sit, neque unquam ab eiusmodi laboribus animum laxet, illi tamen, usque dum de vita decederet, ingenii constituit vigor. Neminem quoque ab omni invidia ipso magis alienum paratioremque fuisse, ad alios, si quid paeclari egissent, meritis suis imperitiendos laudibus, quis nostrum est, quem fugiat? Cumque itidem, praeterquam quod honestatem probitatemque quam maxime coleret, quarum virtutum alteram Cicero affirmat potissimum expetendam *), alterius vero tantam vim esse, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel, quod maius esset, in hoste etiam diligamus **), cum igitur nihil magis haberet religioni, quam, quae ipsi commissa essent, foras eliminare, et, si quis alias, fidem servaret arcanis, fieri non potuit, quin ab omnibus, qui amicitiae vinculis cum ipso coniuncti essent, et in eius consuetudinem se immersissent, summopere amaretur diligereturque;

*) Cic. pro Arch. 6.

**) Id. de Amicit. 9, 29.

*) Cic. de Offic. II, 85, 33.

**) Cic. de Offic. I, 26, 30.

id quod praecipue in eius collegas cadit, quorum neminem non ipse quoque omnibus prosequebatur officiis. In quanta vero admiratione dignationeque etiam apud alios fuerit, eius rei documentum nobis dedit frequentia hominum cuiusvis ordinis et loci, qui ad ipsius exsequias celebrandas non sine luctu lacrymisque convenerant. Nos vero defuncti, humanisque rebus erepti, et ad meliorem vitam vocati imaginem in animo defigentes, atque grata mente eius memoriam colentes, exemplum, quod ipse nobis proposuit, pressae sequamur, ut nos quoque eadem, qua ille, tranquilla laetaque mente diem fatalem, serius ocius nobis venturam, praestolari possimus.

Dabam in Universitate literarum Marburgensi,
d. xxvii. M. Octobris ccccxix.

•en mūtūr dīlāo angīlōo zīlā nī enqīlōr hōp bī-
•nīlō mūtēpēsīlō tīlōdōe omīlōr dīlōe hōr mānā
mātē enpētīsāgīb enōtīrūbā cōv cīlōp nī lālō
tībētīdōr nīlēmēsōb ier anīlō rīlōt zōlō bāq
bā sīp , isol **INDEX SCRIPTORUM**

GUILIELMI THEOPHILI TENNEMANNI.

or cōpītāmāl , Bōnōlōc̄ p̄c̄y 201 . Jūstēnēvīc̄ cōp
nī dīlēgānī bīcōy rītīv mītōlēm bālō , rīpōt ad

Disput. philos. de quaestione metaphysica, num
sit subiectum aliquod animi, a nobisque cognosci pos-
sit? Accedunt quaedam dubia contra Kantii senten-
tiam. Ienae 1788. 4. vid. Allg. L. Zeit. 1788. Nr. 272. p. 451.

Lehren und Meinungen der Sokratiker über Un-
sterblichkeit. Jena 1791. 8.

vid. Allgem. L. Z. 1791. Nr. 117. p. 249. Allg. D. Bibl. Vol. 115.
p. 534. Goth. Gel. Zeit. 1791. p. 961. Erf. Gel. Zeit. 1791. p.
245. Gött. Gel. Anz. 1791. No. 189. p. 1889 sqq.

Versuch, eine Stelle aus dem Timaeus des Plato
durch die Theorie des Vorstellungsvermögens zu er-
klären.

In Bornii et Abichtii neuem Philosoph. Magazin. Vol. 2. Par. 1. 2.

Ueber die älteste Revolution in der Philosophie mit
Hinsicht auf die neueste.

Ueber den göttlichen Verstand in der Platonischen
Philosophie.

In Pauli Memorab. Par. I. p. 45 — 64. — vid. Gött. Gel. Anz.
1792. N. 18. p. 375.

Das Gästmahl von Plato, oder Gespräch über die
Liebe, übersetzt aus dem Griech.

In Schilleri Neue Thalia Vol. 2. 1792. P. 5 et 6.

System der Platonischen Philosophie Vol. 1. Lips.
1792. Vol. 2. 3. Ibid. 1794. Vol. 4. Ibid. 1795. 8.

vid. Allg. L. Z. 1793. No. 326. p. 385. No. 327. p. 393. Neue
Allg. D. Bibl. Vol. 5. p. 369. Vol. 16. p. 289. Vol. 27. p. 242.
Gött. Gel. Anz. 1793. No. 72. p. 722 sqq. Annal. der Neuen
Theol. Lit. 1795. p. 545 sqq.

David Hume's Untersuchung über den menschlichen
Verstand; neu übersetzt. Nebst einer Abhandlung
über den philosophischen Skepticismus von Hn. Pro-
fessor Reinhold. Jen. 1793. 8.

vid. N. Allg. Deutsch. Biblioth. Vol. 7. p. 54.

J. Locke's Versuch über den menschlichen Verstand;
a. d. Engl. übersetzt mit einigen Anmerkungen und

einer Abhandlung über den Empirismus in der Philosophie. Vol. 1. 2. Jen. 1795. Vol. 3. ibid. 1797. 8.
ibid. Allg. L. Z. 1797. No. 120. p. 137. N. Allg. D. Bibl. Vol.
25. p. 41. Goth. G. Z. 1796. p. 217. Götting. G. Anz. 1795.
N. 117. p. 1174.

Ueber die ersten philosophischen Versuche bei den Griechen, vorzüglich des Plato und Aristoteles.

In C. C. E. Schmidii psycholog. Magazin. Vol. 1.

Etwas über die Erinnerung.

Ibid. Vol. 2. — vid. N. Theol. Annal. 1798. Beyl. 2. No. 20.
p. 503.

Aristoteles Physiognomik, aus d. Griech. übersetzt.

Geschichte einer Hypochondrie.

Ibid. v. 1. c. p. 507.

Geschichte der Philosophie Vol. 1. Lips. 1798. Vol.
2. ibid. 1799. Vol. 3. 1801. Vol. 4. 1803. Vol. 5. 1805.
Vol. 6. 1807. Vol. 7. 1809. Vol. 8. Par. 1. 1810. Par.
2. 1811. Vol. 9. 1814. Vol. 10. 1817. (cui volumini
auctoris imago aeri incisa addita est). 8.
vid. Allg. D. Bibl. Vol. 91. p. 128. Götting. Gel. Anz. 1804. No.
46. p. 401. N. Theol. Annal. 1806. P. 1. p. 316. — 1808. Febr.

p. 159. N. Lpz. L. Z. 1806. No. 93. p. 1478. Allg. L. Z. 1806.
 No. 266. p. 249. No. 267. p. 257. No. 268. p. 263. 1809. No.
 48. 49. 1810. No. 14. 15. Heidelberger Jahrbücher der Litera-
 tur 3. Jahrg. 2. Heft. p. 57. Hall. Allg. L. Z. 1814. Vol. 4.
 p. 1065 sq. Lpz. Lit. Z. 1818. p. 1001 sq.

Bemerkungen über die sogenannte grosse Ethik des
 Aristoteles. Erf. 1798. 8.

Exstat quoque in Abhandl. der Erfurd. Akad. Vol. 1.

J. M. Degerando vergleichende Geschichte der Sy-
 steme der Philosophie mit Rücksicht auf die Grund-
 lage der menschlichen Erkenntnisse; aus dem Fran-
 zösischen übersetzt mit Anmerkungen. Vol. 1. 2.
 Marb. 1806. 8.

v. N. Theol. Annal. 1806. P. 16. p. 307. 1808. Febr. p. 158.
 N. Lpz. L. Z. 1806. No. 93. p. 1476. Jen. Allg. L. Z. 1808.
 N. 5. p. 53. N. 6. p. 41. N. 7. p. 49.

Grundriss der Geschichte der Philosophie. Lips.
 1812. 8. — edit. sec. ibid. 1816. 8.

vid. Lpz. L. Z. 1818. p. 1001 sq.

Ein Zögling der Universität Marburg verbreitet in
 Schottland das gereinigte Christenthum.

In Justi Hessischen Denkwürdigkeiten Vol. 4. Par. 2. p. 482 sqq.

In libro quoque, *Allgemeines Repertorium der Literatur für 1785—1790.* inscripto, componendo Tenemanni partes haud fuerunt exiguae.

v. Gött. Gel. Anz. 1795. N. 50. p. 499.

Bemerkungen über die sogenannte Große Epopee geschildert. Hr. 120g. 8.

I. M. Degerando verdeutsche Geschichte der Sylt. Eine geschilderte Philosophie mit Hinsicht auf die Göttinger Schule der menschlichen Theologie; sie kann Ihnen bescheiden gegenüber mit Amerikaner. Vol. 1. 8.

MSkp. 180g. 8.

v. N. Tpey, Anna, 1806. T. 16. p. 80. 180g. Tep. p. 128.

N. Tpey, T. 2, 1806. No. 66. p. 142. 150g. T. 2, 1806.

No. 66. p. 142. N. 67. N. 68. p. 142.

Einleitung der Geschichte der Philosophie. Tpib.

1812. 8. — edid. 1809. Ibid. 1812. 8.

2. 1813. Vol. 2. 1814. Ibid. 1815. p. 1200. p. 1200.

Ein Vorspiel der Universität Wittenberg vorgetragen in

Schottland das Berühmte Oberschultheit.


In zwei Habsburger Dynastien. Vol. 1. 1792. 8. 1806. 8.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77467380X/phys_0037](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77467380X/phys_0037)





noscendam, quam ille interdum modo ad ita quidem, ut, tametsi nonnulla approbata tamen impugnaret reiiceretque. Quid **NEMANNUM** hac ratione in eam opinionem fuisse, ut putaret, esse quoque in **Dogmati** vocant, quae a philosophia critica non pugnari? Id igitur sibi persuasum habens, brum *Kritik der reinen Vernunft* inscriptum maxima peryolyebat adtentione, ut ea rimareturque, quae in hoc praeclarissimo sent reprehendi; paucisque repertis, quam repugnare videbantur, philosophiae criticam, eius ratione haudquaquam accurata, omni, quo niteretur, fundamento probat esse destitutam. Summis igitur anno philosophia honoribus qui ornaretur iudicatum anno proxime sequente ex instituto commentationem publice defendendam erudi mini subiiceret, Kantii criticam Psychologis evertere est conatus. Haud vero diu rore versatus est, quem non potuit fieri,

ratio criticae, quam vocant, philosophiae formulae notitia ei eriperet: qua quidem ut imbueretur, haud ita multo post primo, quem ipse in lucem edidit, effectum est libro.

Animum morte carere, cum ipse tentasset, argumentis certis demonstratum dare, omnia conquirendi studio flagraverat ea de re ab aliis essent in medium praecepit, consilio Platonis quoque pertractata, sum habens, accuratam atque philosophi animad vocant, primum democraticorum scriptorum remenque viris docentiorum hominum latam esse supervacaneam. omnia accurate collegisse disposti, socratici de ea re tradidissent, in ratione inquirendi munus suscepit, quibus mens humana credendo ad meditandum sit traducta, simulque, quae Socratis et Platonis in eam rem fuerint merita, definiendi. Opus hac ratione maxima